

Utrum quelibet res taliter habeat esse qualiter ab eterno Deus voluit esse.

Videtur quod non, quia non omnis homo est instatu salutis, igitur. Consequentia nota, quia ab eterno Deus voluit omnes homines saluos fieri, ut ponit apostolus 1 ad Tbi 2. Et antecedens patet Luca 16, mortuus est dives et sepultus est in inferno.

Ad oppositum arguitur per illud Psalmi, omnia quecumque volucit facit in celo et in terra. Respondeo ponendo res conclusiones.

Prima conclusio est quod rem quamlibet taliter esse, qualiter habet esse Deus ab eterno non necessario voluit esse.

Probatur tripliciter.

Primo sic, Deus non necessario vult quicquid vult, igitur. Consequentia nota, quia si non necessario vult quicquid vult, hoc maxime erit verum circa res ad extra. Et antecedens patet, quia potest velle quod non vult, et non velle quod vult, ut ostendit Magister, libro 1, in fine distinctione 43, dicens potest Deus aliud velle quam vult et tamen eius voluntas nec alia, nec nova, nec mutabilis.

Secundo sic, Deus non necessario producit res taliter in esse, qualiter habent esse, igitur. Consequentia nota, quia non producit eas alio modo quam vellit producere, cum ipsummet velle Dei producere creaturam sit creaturam producere. Antecedens patet, quia aliter omnia venirent de necessitate, et sic negaretur libertas arbitrii et omnis consiliatio quod est contra Philosophum secundo Perihermenei.

Tertio sic, Deus potest predestinatum dampnare et prescitum salvare, igitur. Consequentia nota, quia ab eterno voluit predestinatum salvari et prescitum damnari, ut ait Magister libro 1, distinctione 40, dicens predestinatio est divina electio qua nos elligit ante mundi constitutionem. Reprobatio est prescientia iniquitatis quorundam et preparatio damnationis eorum. Patet antecedens per Magistrum in eadem distinctione [100va] et superius patuit quaestione 43, conclusione secunda.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: taliter Deus voluit res ab eterno esse pro isto tempore, qualiter ipsas nunc producit et conservat, sed nunc ipsas producit et conservat necessario, igitur. Probatur minor, probando quod Deus de necessitate producit et conservat quicquid producit et conservat sic aliqua causa naturaliter, et necessario producit suum effectum, igitur. Et prima antecedens notum, ut puta ignis calorem quare, igitur aut ista calitas necessario inest sibi virtute propria tantum et tunc causat independenter et per consequens est efficiens primum, quod est falsum. Aut causat in virtute alterius causae, et tunc quaeramus de illa alia, et cum non sit dare precessus in infinitum, erit dare primum necessario causantem in cuius virtute omnes aliae causae necessario causantur quod est propositum. Et confirmat, quia si primum efficiens, scilicet Deus ageret naturaliter, de necessitate nature ageret, cum igitur natura sit perfectissime in Deo et voluntas eius non tollat motum nature eius, sequitur quod ratione nature in ipso perfectissime existentis naturaliter causabit.

Secundo sic: taliter Deus ab eterno rem voluit esse, qualiter nunc rem vult esse, sed nunc vult necessario rem esse, igitur. Maior patet, quia aliter eius voluntas mutata fuisset. Probatur minor, quia nunc Deus vult rem esse. Igitur necessario vult rem esse. Patet consequentia per illud verbum Philosophi 1 Physice, circa finem, dicentis omne quod est necesse est esse dum est.

Tertio sic: sic Deus ab eterno voluit rem esse taliter qualiter nunc est, igitur necessario. Patet consequentia, quia omne eternum est necessarium, aliter quodlibet eternum posset non esse etc.

Respondeo.

Ad primum, dico quod Deus necessario vel producit vel conseruat ad extra. Ad probationem dico quod nulla causa necessario producit aliquem effectum necessitate absoluta, sed secundum quid, scilicet stante ad hoc primi influentia. Unde dico quod ignis de necessitate nature sue non calefacit nisi sit determinatus ad calefaciendum pro primum agens, quod contingenter ipsum calefaciendum determinat, et si ipsum non determinat agere, non potest sicut patet de igne fornacis trium puerorum Danieli, et de igne in quo beata Lucia fuit posita. Et sic dico quod nulla est habitudo simpliciter necessaria alicuius cause ad effectum suum in cuius opposito est tota virtutis illius argumenti. Ad confirmationem, dico quod sequitur si primum agens naturaliter causaret, de necessitate causaret, sicut sequitur si asinus esset homo, asinus esset rationalis. Sed [100vb] non solum hoc sequitur, immo sequitur etiam quod non esset rationalis, quia si asinus esset homo, asinus esset asinus. Sic in propositum secuntur contradictoria, scilicet quod primum agens causaret de necessitate, si naturaliter ageret et quod non causaret de necessitate ex hoc quod est primum efficiens et sic in antecedente includuntur duo impossibilia, ad que secuntur ambo contradictoria, cum igitur dicitur quod modus vel perfectio nature in divinis non totalitur pro voluntatem, Dico quod causare aliquid necessario ad extra esset imperfectionis in primo efficiente, et ideo summa perfectio non permittit in eo talem calitatem.

Ad secundum, negatur minor. Ad probationem dico quod concesso simpliciter illo verbo Philosophi sequeretur solum quod Dei voluntas in se esset necessaria, quod concederem licet non sit necessaria talis rei volitio. Dico tamen ad verbum Philosophi quod per illud non intelligit quod omne quod est in presenti tempore sit de necessitate, sed solum vult dicere quod non stat simul rem esse de presenti et non esse in sensu, scilicet composito, et cum hoc stat quod res que nunc est, potest nunc non esse in sensu diviso, ut superius dictum est in materia contingentibus.

Ad tertium, nego consequentiam. Ad probationem, quia omne eternum est necessarium, dico quod omne eternum quantum ad illud quod dicitur in re et absolute est necessarium, quia solum primum esse est eternum quod est simpliciter necesse esse. Sed quantum ad illud quod connotat et dicit in obliquo non est necessarium, et sic concedo quod divinum velle semper semper est necessarium quantum ad illud quod est, sed est contingenter talis rei velle etc.

Secunda conclusio est quod aliqua res taliter potest habere esse, qualiter ab eterno Deus non voluit eam esse.

Probat tripliciter.

Primo sic: aliqua res taliter potest habere esse, qualiter ab eterno Deus non prescivit eam esse, igitur et qualiter non voluit eam esse. Consequentia nota, quia non aliter prescivit rem esse quam voluit ipsam esse. Sed antecedens patet, quia immutabilitas divine prescientie non excludit a nobis libertatem contingentie, ut dicit secunda conclusio, quaestione 42.

Secundo sic: si conclusio non sit vera, tunc sequeretur quod omnia evenirent de necessitate. Consequens falsum, quia tunc periret libertas arbitrii et omnis oratio et ecclesie exortatio. Patet consequentia, quia Deus ab eterno voluit res taliter evenire et esse, qualiter eve-

[101ra] niunt et sunt, si igitur aliter non possunt evenire quam ab eterno voluit, sequitur quod non possunt non evenire sicut eveniunt, igitur necessario.

Tertio sic: Deus potest facere multa quae non facit, et res quas facit meliores potest facere, igitur conclusio vera. Consequentia patet, quia omnia illa Deus facit quae ab eterno se pro nunc voluit facere, et res ita bonas facit qualiter bonas eas ab eterno esse voluit facere, si igitur possunt esse pulchra et meliora quam sint, sequitur veritas conclusionis. Sed prima pars antecedentis patet per Magistrum, libro 1, distinctio 43, et etiam pars distinctionis 44 eiusdem.

Contra conclusio agitur tripliciter.

Primo sic: Dei velle est efficax et immutabile, igitur res non potest aliter esse qualiter ab eterno Deus voluit eam esse. Probatur consequentia, quia si velle Dei est immutabile, non potest aliquid aliter velle quam noluerit ab eterno, et cum hoc sit efficax res non potest aliquid esse contra eius velle. Sed antecedens patet per Magistrum in presenti distinctione 47.

Secundo sic: si conclusio sit vera, ponatur quod Deus ab eterno voluerit hodie Petrum taliter esse. Si conclusio sit vera, igitur hodie Petrus aliter potest esse. Ponatur in esse, quia possibili posito in esse nullum sequitur impossibile quo posito sequitur quod Petrus nunc non est taliter qualiter Deus ab eterno ipsum voluit esse. Sed hoc est impossibile et contra Magistrum in principio distinctionis 47, dicentem, voluntas quippe Dei semper efficax est, ut fiat omne quod vult et nihil fiat quod nollit.

Tertio sic: necesse est rem taliter esse sicut Deus vult eam esse, igitur. Consequentia nota, quia omne illud quod Deus vult, voluit ab eterno, et quod est necesse taliter esse non potest aliter esse. Sed antecedens patet per Magistrum, libro 1, distinctione 46, exponentem illud verbum apostoli. Vult homines omnes salvos fieri, dicentis, id est, quod nullus sit salvus nisi quem vult salvari, et subdit ad propositum, ideo rogandus est, ut velit quia necesse est fieri si voluerit.

Respondeo quod omnes istae difficultates solvuntur per sensum compositum et divisum, sicut superius est visum de presentia dei, quia eadem difficultas est hic et ibi.

Ad primum, ego dico quod cum immutabilitate divinae velle stat ipsum nunquam voluisse quod ab eterno voluit, sicut cum immutabilitate divinae prescientiae stat ipsum nunquam prescivisse quod ab eterno prescivit in sensu divisivo, ut dictum sunt in conclusione secunda, quaestione 42.

Ad secundum, dico quod licet ab eterno Deus voluerit Petrum taliter esse, tamen stat quod Petrus potest aliter esse, et hic in sensu divisivo, quia Deus potest ab eterno Petrum taliter esse voluisse, licet hoc non sit possibile in sensu composito in quo sensu praecedit argumentum.

Ad tertium, concedo antecedens in sensu composito, sed non in sensu divisivo, sicut necesse est Petrum moveri quando currit, et tamen cum hoc stat quod contingenter moveatur, et quod possit non moveri, sic in proposito si Deus vult hoc necesse est hoc fieri, et tamen cum hoc stat quod hoc possit non fieri, quia antecedens est contingens, scilicet quod Deus vult hoc fieri.

Tertia conclusio est quod quilibet res taliter habet esse, qualiter Deus ab eterno voluit esse.

Ponatur tripliciter.

Primo sic: omnis res taliter habet esse, qualiter Deus facit eam esse, igitur. Patet consequentia, quia Deus precise rem taliter facit esse, qualiter ipsam eternaliter voluit esse. Sed pronatur antecedens. Quia secundum Augustinum, in 3 De trinitate, et allegatur a Magistro, distinctione 46, primi voluntas Dei est causa omnium specierum atque motionum, nihil enim sit quod non de interiore atque intelligibili aula summi imperatoris egrediatur, ex quo sequitur quod Deus est causa non solum rei, sed omni modi speciei vel motionis cuiuslibet rei, et per consequens rem quamlibet taliter facit esse, qualiter vult esse.

Secundo sic: voluntas Dei est omnipotens, igitur semper adimpletur, igitur res taliter est, qualiter ab eterno causa voluit esse. Antecedens patet per apostolum ad Romanos, dicentem, voluntati eius quis resistit, glosa, vel ei resistere potest, quia omnipotens est. Sed prima consequentia nota, quia voluntas omnipotens tollit omnem impedimentum, quo eius effectus posset impediri, aliter non esset omnipotens si vellet et non faceret. Et secunda consequentia patet exi terminis.

Tertio sic: implicat rem aliter esse quam Deus ab eterno prescivit eam esse, sicut in sensu composito, igitur et rem de facto aliter esse quam Deus ab eterno ipsam voluit esse. Antecedens notum, cum ipsa Dei prescientia omnium sit causa, libro 1, distinctione 34, et sic de omnibus futuris, distinctione 35. Et consequentia nota, quia non prescit aliter rem esse, quam voluit eam esse. Ista conclusio patet per illud Sapientiam 12, ubi sapiens loquens Deo ait subest tibi posse cum volueris et in primis omnia quecumque voluit fecit etc.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: posito quod Socrates odit Deum vel sit in peccato mortali, arguitur [101va] tunc sic Deus ab eterno voluit Socrates odire Deum vel esse in peccato mortali, igitur. Conclusio falsa. Patet consequentia per casum positum. Sed patet antecedens, quia Deus ab eterno non voluit mala culpe fieri vel esse, ut dicit tertia conclusio quaestione 49.

Secundo sic: omnis rem que taliter habet esse, qualiter ipsam ab eterno Deus voluit esse, habet esse qualiter debet habere esse. Sed non omnis res habet esse, qualiter debet habere esse, igitur. Maior patet, quia omnia que Deus ab eterno voluit fuerunt bona et bene ordinata, secundum quod dicit Anselmus, De veritate, capitulo 8, ubi ait an iudicabis non debere esse quod tanta bonitas et sapientia, scilicet Dei facit et permittit, et respondet quod debet esse omne quod faciente Deo sit. Sed minor apparet, quia aliter nihil defectuosum vel inordinatum esse in mundo et quamlibet faceret taliter, qualiter deberet facere et per consequens nullus peccaret, quod est falsum.

Tertio sic: si conclusio sit vera, sequitur quod omne quod est Deus ab eterno voluit esse. Sed est falsum, quia pono quod nunc sit actus adulterii quod Socrates adulteratur, quia si Deus hunc actum voluit ab eterno esse, igitur istius actus est causa. Patet ista consequentia per auctoritatem Augustini adducta in secundo argumento pro conclusione. Sed tunc sic Deus est causa istius actus aut totalis aut partialis. Si totalis, igitur actus non debet imputari Socrati, cum nullomodo sit eius causa. Si partialis, igitur est principalior causa quam sit Socrates, quia quando aliquis actus sit a duobus causis ab una principali et ab alia minus principali, si actus sit bonus magis debet imputari principali quam minus principali et similiter si sit malus, patet quia causa minus principalis agit solum virtute principalis iste actus magis debet imputari Deo, quam Socrati, quod est falsum, quia tunc Deus asset adulter magis quam Socrates.

Respondeo.

Ad primum concedo casum et illud antecedens, cum dicitur quod Deus ab eterno non voluit Socrates odire nec esse in peccato mortali. Et cum infertur ergo conclusio falsa. Negatur consequentia, sed solum sequitur quod Socrates taliter vult, qualiter Deus ab eterno non voluit ipsum esse, sicut non sequitur peccata fiunt que Deus non vult fieri. Igitur non sit taliter, qualiter Deus vult fieri, quia peccata fiunt non Deo volente, sed non volente, ut ait Magister, distinctione 46, 1.

Ad secundum, concedo maiorem si precise taliter habeat esse. Ad minorem, dico quod multi [101vb] sunt defectus et inordinationes in mundo, non ex hoc quod res taliter habent esse, qualiter eas Deus voluit habere esse. Sed ex eo quod ultra hoc habent aliquo modo esse, qualiter Deus eas ab eterno non voluit esse, ut puta quia habent in peccato esse vel peccatum committuntur, quod Deus non vult esse, nec vult non esse, sed non vult esse, ut allegatum est per Magistrum, sicut posito quod voluntas mea scit te esse in statu gratie, et vult te non esse in peccato mortali et nihil aliud contra te precise velit, et cum hoc tu facis actum differentem, tunc taliter tu habens esse qualiter volo te habere esse. Vel dicendum ad ista duo argumenta precedentia, quod taliter esse potest dupliciter accipi. Unomodo, ut denominatur et derivatur ab aliquo positivo qui rem aliquam vel modum rei poni vel significat, et isto modo intelligitur conclusio, nec argumenta contra hoc militent. Aliomodo, ut denominatur et derivatur ab aliqua carentia privatione vel deformitate, et isto modo non intelligitur conclusio, et isto modo argumenta procedunt et sic nihil contra propositum.

Ad tertium, concedo totum usque ibi quod Deus est causa partialis. Et principaliter actus adulterii Socrates est a Deo, scilicet in quantum ens vel actus est, et cum dicitur quod tunc magis deberet imputari Deo, qui est causa magis principalis quam Socrates, qui est causa minus principalis. Dico quod verum est si causa principalis obligaretur ad illum actum non producendum, sicut causa minus principalis, et ideo quia homo obligatur ad aliquid faciendum, et ad aliquid obmittendum, ideo peccat committendo et obmittendo Deus autem, quia nullomodo obligatur ad obmittendum nec comitendum, ideo nec sic, nec sic peccare potest. Et sic dico quod ratio concludit de causa principali obligata ad oppositum illius quod facit vel obmittit cuiusmodi non est Deus.

Ad argumentum primum in principio quaestionis factum, nego consequentiam. Ad dictum apostoli respondet Magister, libro 1, distinctione 46, dicens vult omnes homines salvum fieri nisi quem ipse salvum voluerit. Non quod nullus fit hominum nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat salvus nisi quem velit salvum. Ex quo sensu acutoritas non probatur consequentiam. Vel dicendum quod dictum apostoli intelligitur de generibus singulorum et non de singulis generum. [102ra]